THESES THEOLOGICÆ DE PECCATO

Quas Spiritu Sancto Præside, D.
ANDREA MELVINO Sacræ Theologiæ
Doctore, & illius facultatis Decano
συζητητων moderante συν θεω
tueri conabor.

JOANNES SCHARPIVS
ad diem III. *&* IV. *Julij in*
Scholis Theologicis Aca-
demiæ Andreanæ.

EDINBVRGI,
Excudebat Robertus Walde-graue
Typographus Regius. 1600

Cum Privilegio Regio.

CLARISS. VIRO.

D. IOANNI SCHARPIO IC.to
DOCTISS. ET IN SVPREMA curia Regia Advocato.

NVllum officium (inquit Cicero) referenda gratia magis necessarium est, referre autem gratiam tibi (Vir. Clar. non possum, habere saltem cum boni viri sit, nisi ingratus sim, debeo. Nec vero grati tantùm animi mei erga te significatio, me ad hoc quidquid est tibi dedicandum & consecrandum impulit, sed multò magis grauissimum tuum de rebus diuinis iudicium, virtus & humanitas tua, quam non solum ego beneficijs plurimis à te acceptis expertus sum, sed etiam Academiâ hac nostra, cuius ego alumnus & nutricius sum, cui in causis omnibus te fidelem patronum gratis præstitisti: quo nomine bonæ tuæ existimationi & honestissimo nomini optimè consuluisti, & grata etiam posteritas meritis laudibus & præconijs te celebratura est. Bene vale ac feliciter viue (Vir. Clar.) studiaq; doctrinæ salutaris totis viribus, vt cæpisti, hoc pacto ornare & tueri perge, & Iehova ipse tibi erit, vt olim Abrahamo, clypeus & merces magna valde. Andreapoli è Collegio Theologico postrid. Eidus Iunias CI.Ↄ CI. C.

Tibi addictiss.

IOANNES SCHARPIVS.

Thesis. I.

Vm miseriæ nostræ cognitio per necessaria sit, ad cognoscendum, tum bona illa omnia quæ in Adamo primo nostro parente amisimus; tum etiam multò potiora & præstantiora illa, quæ in Christo nobis gratis donata sunt: nos breviter pro thesium natura, de malo, eius origine, Natura, speciebus, causis, effectis denique in nobis, disseremus.

II

Origo mali, est à (a) libera voluntate, bona, (b) angelica primùm, deinde (c) humana, hac sponte sua, illa etiam vltrò à (d) Deo deficiente; idq; ex accidenti, cùm bonũ per se causa mali esse non possit: non autem à Deo, qui vt ipse summum bonum est, ita omnia valde bona creavit, ideoq; mali causa, qua malum est, dici non potest.

(a) Eccl 7.29
(b) Iob. 8.44 2. Pet. 2.4. Iud. 6.
(c) Gen. 3. Luc. 1.35.
(d) Gen 1.31. Iob. 34.10. 2. Ioh 2.16.

III.

Licet autem absque æterno illius (a) consilio & decreto fieri nullo modo potuit, tamen sub primam exequutionis decreti partem, (b) nempe creationem, non cadit; sed secundam, nempe (c) gubernationem, quâ non tantùm bona, sed etiam mala, bene regit, gubernat, & ad fines suos dirigit.

(a) Act. 2. 23; & 24.
(b) Gen. 1.31. & 2.1.
(c) Prov. 16. Act. 4.28.

IV.

Nec verò vt summum hoc & se paratum Bonum est, à quo bona omnia originem traxerunt, ita est aliquod summum et seperatim malũ, vnde mala omnia proficiscantur vt Manichæi duo illa principia, alterum boni, alterum mali statuentes, impiè voluerunt.

V.

Malum omne est culpæ, vel pœnæ.

VI.

VI.

Malum culpæ, seu peccatum, definiente Apostolo, est ἀνομία (a) id est, legis divinæ prævaricatio, vt loquitur Ambrosius, siue legalis obedientiæ defectus, siue inobedientia illegitima, qua natura rationalis à legitima illa rectitudine legis illius, cum qua consentire debuit, deficiens, pœnam legitimam; imò mala omnia, mortem denique æternam promeretur.

(a) 1. Ioh. 3. 4.

VII.

Subiectum mali duplex est, inhæsionis & occupationis (a) inhæsionis, ipsum nempe bonum, natura rationalis eiusque potentia & actio, quia malum nisi in bono esse non potest, idque in natura vel actione bonâ, cùm sit privatio illius boni, quod naturæ vel actioni inesse deberet. (b) Occupationis verò, lex ipsa Dei & ea quidem bona, in qua violanda homo, cùm peccat, occupatur.

(a) Rom 6. 12 & 7. 8. 17.

(b) 1. Ioh. 3. 4.

VIII.

Cùm peccatum naturâ sua ens positiuum non sit, eóque in mundum invecto novum aliquod ens rebus creatis non accesserit, sed eius vis & natura omnis in privatione boni, nempe cõformitatis cum Deo, & sanctimonię quę in Angelo & homine fuit, & etiamnum inesse debet, sit posita, propriè materiam & formam non habet. Vnde rectè Nazianzenus. Κακὸν γὰρ ὑπόστασις οὐκ ἔνεστι πως, ὅθεν τὸ κακὸν οὐδὲν εἶναι μανθάνω, id est, nihil privativè (vt ignorantia, cæcitas, morbus, vulnus, ruina domus) tamen aliquid eorum loco habere dici potest. Materię loco, defectum obedientię & sanctitatis, formę verò reatum sive obligationem ad pœnam. Hunc veteres Theologi, formale; illum materiale peccati vocarunt; ideoque & nos defectum obedientię legitimę pro genere, reatum pro differentia in definitione posuimus, vt in vocabulis relativis definiendis, cuiusmodi peccatum est, fundamentũ et terminus relationis ponuntur.

IX.

Ac proinde materia peccati nec est actio; cùm omnis, actio

actio, quà talis, bona sit & à Deo; nec qualitas positiva sanctitati contraria. cùm profanitas sit sanctitati maximè contraria, quę nihil in natura ponit; & si aliquid poneret à Deo tanquã auctore & causa existere necesse esset, quod sine summa in Deum contumelia dici non potest: Deniqne multo minus peccatum substantia est, vt crassè Flaccus Illyricus voluit.

X.

Peccatum est hominum, aut Angelorum.

XI.

Peccatum Angelorum licet in Scripturis ex professo non describatur, tamen ex plurium locorum collatione eius ratio cognosci potest; vtpote quod boni (a) & libera voluntate prædíti à Deo (b) creati Deo ipsos nec sustentante nec nova gratia confirmante in (c) veritate non perstiterunt, sed propria voluntate lapsi, facti sunt Dei, omnis boni, hominum ac imprimis Ecclesię hostes, hancq; ob causam iustissimis pœnis adiudicati sunt à cælesti & gloriosa habitatione eiusq; ineffabili gloria excluśi & in Tartarum detrusi, catenis caliginis traditi, vbi ad plenam damnationem servantur.

(a) Genes. 1 31 & 2. 1.
(b) Coloss. 1. 16
(c) Ioan. 8. 44 1 Ioh 3 8. Ephes 2. 2. & 6. 12. Iud 6.
(d) Luc. 8 31. 2 Pet 2. 4.

XII.

Causa autem cur Deus Angelos nec confirmaverit, nec sustentaverit, videtur fuisse (a) tum quia in his decreverat iustitiam iramque suam adversus peccata patefacere; (b) tum quia horum operà ad nos tentandos, & in fide, spirituali pugna, patientia exercendos vti instituit, (c) tum etiam quia iudiciorum suorum exequutores & administros adversus hominũ scelera esse voluit; (d) deniq; vt qui veritatem salutarem non recipiunt, spiritu erroris et mendacii decepti & seducti, iustissimè pereant.

(a) Matt. 8. 29 & 25. 41.
(b) Iob. 1 & 2 2 Cor 12 7. Mat. 4 1 & Ephes 6 12
(c) 1 Ioh 3 8.
(d) 2. Cor. 4 3. 2. Thes. 2. 11

XIII.

Quòd autem ad tempus lapsus Angelorum attinet, putamus non diu stetisse, sed sexto die creatos idque post hominem (vt ex ordine rerum creatarum videtur colligi posse

posse) eodemque die lapsos, idque ante lapsum hominis; cùm eius causa diabolus in Serpente minima non fuerit.

XIV.

Peccatum hominum propter originem, causas, variaque eius effecta, in Scripturis varia sortitur nomina. Dicitur enim Hebræis *Chatá*, Græcis ἁμαρτία, Latinis Peccatum, eadem prorsus significatione, quod nempè sit à recta legis via tanquam à scopo præfixo aberratio, itemque (a) debitum quia Deo eius pœnam iure debemus: Præterea & vetus (b) fermentum metaphoricè, quia vt fermentum totam massam, ita peccatum nos totos corrumpit & contaminat, & (c) παράπτωμα, quia per peccatum à recta in viis Domini ambulatione excidimus; itemque opus (d) carnis, quia à carne & corrupta hominis naturâ proficiscitur; & (e) opus Diaboli, (f) eiusque cupiditas, quia eo instigante & persuadente patratur, denique (g) et opus mortuum, quia nihil nisi mortem generat.

(a) *Mat.* 6, 12.
(b) *1. Cor.* 5. 7.
(c) *Mat* 6. 14 *Rom.* 5 15. *Gal.* 6. 1,
(d) *Gal.* 5. 19.
(e) *Iob.* 8. 41.
(f) *Iob.* 8. 44.
(g) *Heb.* 9. 14.

XV.

Estque originale, vel actuale. Originale autem dicitur, ratione habita non Adami qui cùm origine (a) sua bonus fuerit, illi peccatum originale non fuit; sed (b) nostri, qui in damo tanquam in stirpe & radice fuimus, qui bona illa omnia ipsi à Deo donata non sibi tantùm, sed posteris etiam omnibus communicanda, si stetisset, accepit; si verò laberetur (quod reipsa secutum est) sibi & suis amitteret, atque ita (c) tanquam corrupta radix filios sibi similes gignens, omnes posteros naturâ & origine iræ filios mortisq; reos progenuit.

(a) *Gen.* 1. 2.
(b) *Rom* 5 12 14 19,
(c) *Iob.* 14 5.

XVI.

Esse peccatum originale, docent non tantùm clara (a) scripturæ testimonia, sed etiam eius effecta, peccata scilicet actualia, ex communi illa labe tanquam fonte emanantia; denique huius merces & stipendium, mors etiam (b) infantum, qui ad similitudinem transgressionis Adæ actualiter non peccarunt; ac proinde non sunt audiendi Pelagi-

(a) *Psal* 51. 7, *Iob.* 14. 5. *Iob.* 3. *3 Rom.* 5, 12. 19. 1. *Cor.* 15. 22. *Eph* 2. 3.
(b) *Rom.* 5. 13

Pelagiani, qui omnes in Adamo peccasse primique illius peccati reatu teneri negant; nec Anabaptistiæ, qui hoc nixi fundamento pedobaptismum reiiciunt; denique nec Pontificii, qui peccatum originis non proprie peccatum, sed tantum alienæ culpæ imputationem absque proprio vitio esse volunt.

XVII.

Estque hæreditaria ἀνομία, qua per & (.) propter inobedientiam Adami omnes homines (ne mariâ quidem excepta) peccarũt, et iniusti toti quanti quanti animo & corpore constituuntur, iræque filii nascuntur, ad Deum cognoscendum & amandum, & ad ea quæ Deo placent facienda, ineptissimi; ad omne verò malum propensissimi; quâ denique omnes ab eo naturaliter propagati, nisi in Christo regenerentur, vtrique morti obnoxii reddũtur. a) Rom. 5. 12. 13. 14. 19. Gen. 5, 11. 17.

XVIII.

Originale peccatum duplex est, imputatum, vt Adami παράπτωμα, & inde κρῖμα, id est, voluntarius lapsus & reatus ad nos naturâ derivatus, nobisque imputatus: & inhærens, corruptio nimirum nativa, & labes hæreditaria gentilitio iure in omnes Adami posteros propagata.

XIX.

Originalis peccati materiale, fuit defectus obedientiæ mandato divino ab Adamo præstandæ, & primogeniæ sanctitatis quę in Adamo ante lapsum fuit originalis defectus in nobis. Formale verò reatus seu obligatio posterorum omnium Adami ad pœnam temporariam & æternam, ideoq; minus solidè, & nimis sargutè, de hoc peccato sentiunt, qui materiam triplicem, ἀπροσωσίαν, defectum seu carentiam originalis iustitiæ, & sanctitati contrariam qualitatem, tanquam triplicem entitatem, & bonitatem quæ à Deo auctore sit, triplici forma vestitam & distinctam esse volunt.

XX.

Causæ verò huius primi peccati aliæ externæ fuerunt quarum,

(a) Gen. 3. 1. (b) Gen. 3 2 3 4 5. (c) Gen. 3. 6. (d) Eccl. 7. 29.

(a) quarum efficiens principalis fuit Diabolus, qui instrumento serpente vtens, omnes animę facultates Euæ ad defectionem sollicitavit ac tandem abripuit; (b) tum suspicionem invidię & malignitatis in Deo inculcando, tum etiam persuasionem veritatis verbi Dei removendo, & in veritatis locum mendacium substituendo, pœnæque denuntiatæ incertitudinem asserendo, denique facultatem sentientem ad transgressionem & plenam defectionem deducendo; (c) Eva verò seducta, consilio, factique sui exemplo, & fructus oblatione, Adamum in peccatum induxit. (d) Interna verò causa fuit libera hominis voluntas, quę mandatum Dei transgrediendo, & malum à Deo vetitum eligendo, sponte à Deo se avertit.

XXI.

(a) Gen. 3. 7. (b) Gen 3, 8. (c) Vers. 22. (d) vers 16. (e) Vers. 17.

Huius peccati pœna Adamo & Evæ communis, fuit (a) sensus nuditatis & miserię tam corporis, quàm animę; & (b) conscientię terror, quo à facie Dei ipsos voce in iudicium vocantis sese absconderunt; denique spiritualis illa (c) censura, summaria nempe excommunicatio, & exclusio è Paradiso & ab arbore vitæ, quę Sacramentum fuit illis vitę non datę tantùm, sed etiam perpetuandę, modo in obedientia conditoris sui perstarent; (d) singularis verò pœna Evę molestum viri dominium, et τεκνογονίας difficultas, (e) Adamo verò vitæ rumnosa & laboriosa inflicta fuit.

XXII.

Si autem de tempore lapsus hominis quæratur: cùm sit verisimile Satanam iam lapsum non potuisse diu non invidere hominis fœlicitati, & fœminam adhuc rudem, quam fructum antea nullum gustasse constat, aggressum esse; cumque mulier ad propagationem benedicta esset, si diu stetisset, benedictio illa nisi efficax esse non potuit; denique cum Spiritus Sanctus de sexto die primo capite Geneseos loquens emphaticis vocibus vtatur, quibus significare vult de hoc die singulare aliquid intelligendum esse, quod non de reliquis; eâdemque emphasi cap. 3. de lapsu loquens vtatur; vt vtrobique eundem diem intelligendum esse doceat dicimus hominem sexto die creatum

tum, lapsum, & in promissione de venturo semine facta, restitutum esse.

XXIII.

Hæreditarium autem hoc nostrum malum in nos propagatur, nec per corpus, nec per animæ traducem, nec per imitationem, sed cum Deus in corpus animam (a) creando infundit, homo corruptus existit, qui et (b) culpa et reatu per & propter inobedientiam Adami involuitur, ideoque Deus (c) debitæ maledictionis memor (cuius Adami omnes posteri in ipso, quia peccatores & rei, & corrupti, immunes non sunt) animam infundendo tanquam iustus iudex deserit, gratiam suam non largiendo, ad quam cum creatura iam (d) peccatrice, rea, & inimica, communicandam nullo iure est obligatus, atque ita homo diabolo, sibi, suisq; cupiditatibus relictus, præceps in omne scelus ruit.

(a) Num. 16. 22 Psal. 33. Eccl. 12. 9.
(b) Gen. 5. 3. Rom. 5. 12. 19.
(c) Gen. 2. 17. & 3. 19.
(d) Rom. 5. 12. 18. 19.

XXIV.

Effectus peccati originalis in nobis est concupiscentia, (a) quæ vel in renatis, propter ingenitam corruptionem contra legem divinam exardescit, (b) facultatesque animi titillatione inescans ad peccandum, etiam non consentiente voluntate inclinat; quæ cum vltimo decalogi mandato damnetur, perperam Pontificij peccatum esse negarunt.

(a) Rom. 7. 8. 17.
(b) Iacob 1. 14.

XXV.

Vt autem in (a) renatis corruptio nativa post baptismum tanquam peccatum proprie dictum actu remanet, licet baptismus virtute Sp. Sancti ita in electis efficax sit, vt vis dominandi, eiusque vitium in nobis sensim emoriatur, & (b) reatus prorsus tollatur, ita etiam concupiscentiæ reatu sublato (c) manet tamen in sanctis vt peccatum, licet paulatim sancta illa (d) lucta Spiritu tandem per gratiam devictâ carne, triumphante extinguatur, ideoque neutrum vim dominandi aut condemnandi habet, idque non natura sua, sed in Christo, qui vim eius & dominium cohibet atque impedit, ac proinde errant Pontificii qui labem hæreditariã, itemq; concupiscentiã, ne amplius peccatum

(a) Rom. 12. 2. & 13. 12. 13. 14. Eph. 4. 23.
(b) Rom. 8. 1.
(c) Ro. 7. 20. 21.
(d) Rom. 7. 23. 24.

sit in Baptismo tanquã opere operato prorsus tolli volunt.

XXVI.

Homini iam lapso dicimus superesse mentem, & voluntatem, earumque potentias & facultates naturales omnes, itemque voluntatis libertatem, (si libertatis nomine intelligatur, id quod coactioni opponitur & quod ad malum liberrimè fertur) sed ita vt in rebus naturalibus, vel moralibus, licet quædam in se bona homo lapsus intelligere, & velle possit, (a) tamen ea bene, eo modo, & fine, quo debet, cognoscere aut velle nullo modo potest, ideoque his ad gratiam Dei recipiendam, aut impetrandam, se præparare non potest.

(a) *Gen. 6. 5. & 21. Ro, 8, 5.*

XXVII.

In rebus verò cælestibus, & spiritualibus quæ ad verum Dei cultum, & animarum nostrarum salutem spectant, (a) mens planè cæcutit, (b) voluntas verò nihil eorũ vult aut velle potest, quin potius ea omnia aversatur, ac proinde, quicquid garriant Pontificii, homo reliquis naturæ viribus & per se suam conversionem velle non potest, sed tota quanta quanta insolidum gratiæ Dei tribuenda est, qui eodem tempore, quo ex gratia gratiam hanc suam dat, simul etiam posse & actu velle recipere gratiam oblatam ex gratia confert.

(a) *Mat 16, 17 Ioh. 1. 5 1 Cor. 2. 14. Eph 4 17. 18.*
(b) *Gen. 6. 5. Rom. 8. 7. Phil. 2. 13.*

XXVIII.

Quod autem homo ita prorsus ad malum propendet, vt non possit modis omnibus non peccare, cum non necessitate (a) coactionis à principio externo cogente; sed necessitate ex principio interno, per lapsum corrupto, quam homo à Deo sponte deficiens sibi attraxit, quia ita peccat, ut ἀυθαιρέτως, & spontaneo motu, ad malum feratur; non est ob hanc necessitatem excusandus; & inanis est illa distinctio peccati in necessarium & voluntarium, cum hæc non distinguenda, sed coniungenda potius sint.

(a) *Gen. 3. 1 Eccl 7 29.*

XXIX.

Peccatum actuale peccati orignalis fructus & pœna iustissima à subiecto, quod est actio, nomen habet, estque quan-

quando actiones (a) nostrę siue interne siue externę à lege & voluntate diuina discrepantes iram (b) Dei iustissimam promerentur adeo vt vel (c) minimum peccatum natura suâ æternam & infinitam Dei maiestatem offendat, & æternam & infinitam pœnam mereatur; ac proinde blasphema est illa Pontificiorum peccati in veniale, & mortale distinctio, cum nullum peccatum propter levitatem, aut parvitatem, sed tantum ex gratia Dei per fidem in Christi meritum, veniam consequatur.

(a) 1 Ioa. 3. 8.
(b) Deut. 28 15 Psal. 34 17 Rom. 6. 23
(c) Gal. 3 10. Iac. 2 10.
(d) 1. Ioh. 1. 7

XXX.

Peccatum hoc variè distribui potest, estque internum, in motu mentis, voluntatis, aut affectuum, vel externum, in gestu, dicto, facto, contra legem Dei; vtrumque autem est vel omissionis, cum ea quę vel internè, vel externè, facienda sunt omittuntur; vel commissionis, cum ea quæ vel internè, vel externè legi Dei repugnant, committuntur; itemque est vel ex ignorantia, iuris, aut facti, vel cognitioni coniunctum; de niq; vtrumque est, vel involuntarium, vel voluntarium. Externum autem commissionis est, vel privatum, cum paucis, aut nullis, vel publicum, cum multis, aut omnibus innotuit; quod, quia eo pii offenduntur, scandalum dicitur; estque vel non regnans, cùm peccans per gratiam Spiritus repugnat; vel regnans, cum plena voluntate committitur, estque vel remissibile, quod agentibus pœnitentiam propter meritum Christi condonatur; vel irremissibile, quod quia de eo non datur agere pœnitentiam nunquam remittitur.

XXXI.

In Scriptura hoc peccatum dicitur, peccatum ad (a) mortem, (b) blasphemia, & peccatum in Spiritum Sanctum; cum officio & actione Spiritus Sancti ex diametro pugnat: Estque (c) cum quis luce veritatis semel illuminatus à Spiritu Sathanę agitur, & veritatem agnitam non modo pertinaciter abnegat, sed etiam eam summo odio & destinatâ malitia contra conscientiam persequitur: Vnde fit vt manifestâ apostasia, Dei, veritatis, & Ecclesiæ hostis factus, ex iustitia Dei, finali cæcitate puniatur; adeo vt

(a) 1. Ioan. 5. 6
(b) Mat. 12. 31 32.
(c) Heb. 6. 4. 5 6. 7 & 10. 26.

hus

huius peccati pœnitentiam agere nullo modo posſit.

XXXII

Porro cùm non orandum pro hoc peccatum peccantitibus doceat (a) Apoſtolus, hoc peccatum à poſteriori ſaltem & ex fructibus Eccleſię innoteſcere poteſt adverſum quod, ſi innotuerit, gravisſimum illud & lethale Eccleſię fulmen (b) anathema, maranatha, fulminandum eſt.

(a) 1. Ioh. 5. 16.

(b) 1. Cor 16. Ultimo. 22

XXXIII

Malum pœnæ privatio eſt, benedictionis divinæ eorumque omnium quæ ad bene beateque vivendum & operandum pertinent, à Deo iuſtiſsimo iudice, propter peccatum inflicta; quæ in hac vita (a) externè, à rebus externis, calamitates animo & corpori infligendo; (b) internè vero cæcitate mentis, duritie cordis, & diris malæ conſcientię terroribus, torquendo, inchoatur in (c) futura verò, intolerabili & æterno corporis, & animi, cruciatu, & ſupplicio in gehenna miſere mactando perficitur.

(a) Deut. 27. & 28.
(b) Exod. 4. 7 Eſa. 6. 9, Mat. 17. 14.
(c) Mat. 25. 41

XXXIV.

Vt autem peccata (a) paria non ſunt (quemadmodum Stoici voluerunt) ſed alia aliis graviora & leviora, ita peccatorum pœnę aliæ graviores, aliæ leviores ſunt; Graviores autē ſunt pœnę illę, quæ & (c) peccata & pœnæ ſunt, vt cùm Deus peccata peccatis punit; leviores verò quæ pœnę tantùm; quæ reſpectu Electorum ſunt præparatio ad fidem & reſipiſcentiam; reſpectu verò Reproborum huc tendūt, vt tēporariis et æternis, corporis & animi cruciatibus puniantur, qui quamvis in hac vita plerumque voluptatibus indulgent, iiſque omnia proſpera abſque miſeria & calamitate externà accidant, Deo copia benignitatis, tolerantiæ ac lenitatis eos ad pœnitentiā invitante, pro duritie tamen ſuâ & corde pœnitere neſcio theſaurizant ſibi ipſis iram in diem iræ & patefactionis iuſti iudicii Dei, qui eos tandem iuſtiſsimis illis & æternis ſuppliciis mactandos tradet.

(a) Mat. 5. 22. 23. Ioh. 9. 11.
(b) Mat. 10. 15 & 11. 22. Luc. 10. 12. 14.
(c) Sam. 18. 10. Rom. 1. 21

Soli Deo gloria.